HUGO DE SANCTO VICTORE

12. Jh. Seite 97v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26236
Copyright: Admont, Benediktinerstift

elementum. addidit post hec non mechaberis. in hoc
fuit exordium. nouissime apposuit. si
quis uiderit mulierem ad concupiscendum eam iam me
chatus est in corde suo. in hoc fuit sermonis
completio. Precepta que ad tempus superaddita
elementa fuerunt. precepta decalogi exordia. pre
cepta noui testamenti sermo. Prima ex insti
tutione discipline. secunda ex ueritate nature.
tercia ex perfectione gratie. Precepta immobilia
naturaliter priora sunt. sed precepta mobilia sic
dictum est significatione precedunt. quia in eis
primum bonitas formatur. que postea in illis
inchoatur. et nouissime per gratiam consummatur.
De preceptis superadditis et mobilibus quedam
et nunc in tempore gratie per exercitationem retenta
sunt. sicut est obseruantia ieiuniorum et alia quedam
que cum superioribus temporibus fuerunt instituta.
proinde tamen ad presentium instructionem sunt re
seruata. que ad spiritualis studii exercitati
onem spectant. tempore gratie reseruantur. his
que ad carnales obseruantias pertinebant
abolitis.

+ et ea potissimum

Quot sunt genera sacramentorum in lege.

TRIA GENERA SACRAMENTORUM
conuenimus fuisse sub lege
scripta. Quedam specialiter ad
remedium. quedam uero ad obsequium
quedam ad cultum diuinum. Prima perti
nent ad peccatorum remissionem. secunda ad
exercitandam deuotionem. tercia ad colendam
pietatem.

Prima instituta fuerunt quasi ad necessi
tatem ut in eis homo sanctificaretur. qualis
circumcisio fuit et hostie pro peccato et pro delic
to. et cetera quedam que specialiter ad emun
dationem et remissionem instituta fuerunt.
Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt
proposita. ut in eis deuotio fidelium exer
ceretur. et meritum augeretur. quales scilicet
fuerunt hostie pacificorum que sponte
offerebantur a fidelibus. ob recon
ciliandam scilicet gratiam diuinam. Tercia in
stituta fuerunt quasi ad preparationem
quandam. ut quasi instrumenta quedam
essent ad cetera sacramenta tractanda et sancti
ficanda. quale fuit tabernaculum et
atrium. et omnia utensilia que continebantur
in eis. nec non et sacre indumenta minis
trorum et cetera omnia que ad exornan
dum cultum diuinum fuerant instituta.
Item sacramentorum alia fuerunt que sanctificabantur
ad emundationem. alia que tractabantur
ad deuotionem. tercia que exercebantur
ad uenerationem. Prima necessitatis.
secunda uirtutis. tercia laudationis.
Prima suscipiebantur ad sanctificationem.
secunda tractabantur ad deuotionem.
tercia exercebantur ad laudationem.
Item sacramenta alia erant in rebus
quibusdam sanctificatis. alia in sacrificiis.
et oblationibus. alia in ministris di
uinis.